



Patriarchatus Latinus Ierusalem
البطريركية اللاتينية الورشلية
المكتب الـلـيتورجي
Officium Liturgicum

Die 26 Februarii

S. Porphyrii, episcopi gazensis

(Mem. facult. sed *Gazæ*: mem. oblig.)

Ant. ad introitum

Ez 34, 11. 23-24

Visitábo oves meas, dicit Dóminus, et suscitábo pastórem qui pascat eas : ego autem Dóminus ero eis in Deum.

Collecta

Deus, qui Ecclésiam tuam
sanctórum illúminas méritis et doctrínis,
fac nos, intercessióne beáti Porphyrii episcopi,
fidei lúmine instrúctos,
et devótam tibi gérere voluntátem,
et maiestáti tuæ sincéro corde servire.

Per Dóminum.

LECTIO PRIOR

« Gáudeo in passióibus pro vobis »

Léctio Epistolæ beáti Páuli apóstoli ad Colossénses 1, 24-29

Fratres :

Nunc gáudeo in passióibus pro vobis, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclésia, cuius factus sum ego míster secúndum dispensatióñem Dei quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei, mystérium quod abscónditum fuit a saéculis et generatióñibus — nunc autem manifestátum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas fáceré divítias gloriæ mystérii huius in géntibus, quod est Christus in vobis, spes gloriæ; quem nos annuntiámus, commonéntes ómnem hóminem et docéntes omnem hóminem in omni sapiéntia, ut exhibeámus omnem hóminem perféctum in Christo; ad quod et labóro certándo secúndum operatióñem eius quæ operátur in me in virtúte.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

22, 1-3a. 3b-4. 6 (R.4)

R. Si ambulávero in valle umbræ mortis, non timébo mala quóniam tu mecum es.

1 Dóminus pascit me, et nihil me déerit :
in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
ánimam meam refécit. R.

2 Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus
ipsa me consoláta sunt. R.

3 Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. R.

ALLELUIA

Io 10, 14

(R. Allelúa) V. Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus; et cognósco oves meas et cognoscunt me meæ. (R. Allelúa.)

EVANGELIUM

« *Messis multa est, operarii autem pauci.* »

† Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaéum 9. 35-38

In illo témpore :

Circumíbat Iesús civitátes omnes et castélla, docens in synagógis eórum et praédicans Evangélium Regni et curans omnem languórem et omnem infirmitátem. Vídens autem turbas, miséritus est eis quia erant vexáti et iacéntes sicut oves non habéntes pastórem.

Tunc dicit discípulis suis : « Messis quidem multa, operárii autem páuci : rogáte ergo Dóminum messis ut mittat operários in messem suam »

Verbum Dómini.

Super oblata

Sit tibi, quaésumus, Dómine Deus,
nostræ devotónis oblátio acceptábilis,
ut beáto Porphyrio intercedénte,
et tuæ pláceat maiestáti et nostræ profíciat salúti.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Mt 11, 28

Veníte ad me omnes qui laboráti et oneráti estis, et ego refíciám vos, dicit Dóminus.

Post communionem

Refécti sacris mystériis, Dómine, humíliter deprecámur,
ut, beáti Porphyrii exémplo,
studeámus confitéri quod crédidit
et ópere exercére quod dócuit.
Per Christum.